

IN MY DEFENCE,

GOD ME DEFEND.




LIBER SECVN-  
DVS, DE 'IVDI-  
CIIS.

*Hoc est, de forma  
judiciorum, quae  
coram ordinariis  
judicibus determi-  
nantur.*

DE ARBITRIS.

CAPVT. I.



Vnc, ad iudicia determinanda et  
declaranda, in parte, procedere  
statuimus.

*Quae sequuntur ad  
capit. II. sunt de-  
scripta ex iure  
Civili Romanorū.*

2. Et quoniam ad-instar iudiciorum, redacta sunt arbitria: Videamus ergo, quid sit Arbitrium;
3. Et in quot personas debeat compromitti;
4. Et qui possunt esse Arbitri;
5. Et qui prohibentur esse Arbitri;
6. Et de quibus rebus compromitti valeat in Arbitros.
7. *Item*, quis sit effectus sententiae Arbitrorum;
8. Et in quibus differunt iudicium & arbitrium.
9. *Item*, qualiter debeat finiri arbitrium.

ANNOTATIO.

VERS. 2. Ad-instar] *Id est, ad similitudinem: Nam compromissa vel arbitria, dicuntur redacta ad similitudinem iudiciorum. l. i. l. quanvis. 17. ff. de recept.*

recept. arbitr. l. 12. C. de judic. quia eodem modo, quo lites & controversie finiuntur, per judicia in foro contentioso: ita in foro voluntario, arbitria terminari, & finire solent per unum, aut plures viros bonos, ex consensu partium electos, & quod ab ijs statutum fuerit, ratum fit, & rei iudicata vim habet.

DE ARBITRIO QUID SIT.

CAP. 2.

**A**rbitrium, est actus legitimus personarum, super civili quaestione, & querela in quasi-judicio contententium.

2. Nam judex laborare debet, ad investigandam veritatem.

3. Actor, id est petens, ad causam suam amplificandam.

4. Reus verò, id est, tenens, ad causam extenuandam & querelam adversarii sui per exceptiones cassandam.

Barol. tractat. 21. de Arbitris.

Al. extinguendâ causam, et querelâ adversarii sui.

ANNOTATIO.

VERS. 1. Arbitrium] Hec definitio arbitrij, & cetera quae hoc capite continentur, concordant cum summa Azonis. in tit. c. de recept. arbitr. Et Speculat. tit. de Arbitris.

Quasi-judicio] Id est, foro voluntario: Nam omnia arbitria seu compromissa, initio sunt voluntatis: liberum enim est partibus arbitros eligere, vel non eligere. Infr. lib. 2. c. 10. 3.

VERS. 2. Nam judex] Azosc. Nam arbiter contendit ad inquisitionem veritatis. Actor ut Reus ei condemnentur. Item Reus, ut absolvatur ab Actore. Et ita arbitrium bene definiri potest, ut sit causa in dicendo posita voluntariè, cum certarum personarum interpositione; Actoris, Rei & arbitri. Hec ille. Forrò in omni judicio quatuor personas necesse est esse. Iudices qui uti debent equitate. Accusatores, ad amplificandam causam. Defensores, ad minuendam causam: & testes legitimi, ad veritatem cognoscendam. c. nullus. 4. q. 4.

Laborare debet] Boni iudicis officium est, lites dirimere. l. 21. ff. si cert. pet. equitatem ante oculos habere debet. l. 5. in fin. ff. de eo quod cert. loc. Et (teste Baldo) duplicem debet habere saltem, alterum scientiae, sine quo est insipidus, alterum conscientiae, sine quo est diabolicus.

QVI POSSUNT ESSE ARBITRI.

CAP. 3.

**P**otest autem esse arbiter, qui non prohibetur à jure.

2. Ut puta, liber homo, pater-familiâs, & hæres patris-familiâs.

3. Item, arbiter debet esse bonæ famæ.

ANNO-

ANNOTATIO.

VERS. 1. Qui non prohibetur] Nam generalis est regula. Cum Tractor unum ex pluribus judicare vetat, ceteris id committere videtur. l. cum Prator. 12. de judiciis. Nam quod uni prohibetur, in hoc casu, alijs concessam videtur; Et unius exclusio, est aliorum inclusio: quia exceptio in casibus non exceptis, firmat regulam. l. maritus. 21. C. de procurat. l. de eo. 19. ff. de testib. l. legitimi. 21. de adim. legat. l. remittere. 6. de jure jur.

VERS. 2. Ethæres patris-familiâs] Id est, filius-familiâs. Qui tamen si non potest esse arbiter, in re propria (quia in re sua, nemo potest esse arbiter) tamen in re civili, ad patrem pertinente, & judex & arbiter esse potest. l. pen. l. 5. ff. de arbitr. Et ibi gl. Nam nihil interest utrum is, qui est judex, sit in aliena potestate, an sui juris. l. cum prator. 12. ff. de judic. Sed in criminali causa, neque filius patri, nec quisquam alius, sibi, vel suis, jus dicere potest. s. Infames. 2. q. 7. l. 1. c. Ut nemo sibi,

VERS. 3. Bonæ famæ] Hic locus videtur repugnare. l. Pedius. 7. ff. de recept. arbitr. & d. c. Infames, ubi dicitur, quod ignominiosus potest esse arbiter. Respondeo, secundum opinionem Marante, in suo speculo, de ordine judiciorum, Tres species arbitri simpliciter, qui de partium consensu eligitur. Et in cum sub pœna stipulatione compromittitur. Specul. tit. de arbit. in prin. qui quoad processum attinet; tenetur servare juris ordinem, & equi paratur judici. Secundò, quidam est arbiter, qui dicitur arbitrator, sive amicitabilis compositor, qui litem dirimit, de factò potius quàm de jure, & sine aliquo juris ordine. Tertio, quidam est arbiter juris, qui eligitur ex necessitate statuti: Nam cum judex allegatur ut suspectus, debent eligi arbitri, ad cognoscendum de suspicionem, ex necessitate juris civilis, vel canonici, in certis tantum casibus. Abbas in c. Pastoralis. in prin. extr. de rescript. In primo genere, sive specie arbitratorum infamis, vel ignominiosus, potest esse arbiter. l. 7. ff. de arbitr. Quia litigantes, sive ambe partes in eum consenserunt. Et arbitrium est potius onus, quàm honos: & proinde infames esse possunt procuratores. s. vlt. Instit. de except. At infamis neque potest esse arbitrator, quia is debet dicere sententiam, secundum & equum, & bonum. Et arbitrium boni viri: Is autem qui est infamis, non potest dici vir bonus: Neque in tertia significatione, infamis potest esse arbiter juris. Nam infames, omnis juris beneficio indigni sunt existimandi.

QVI PROHIBENTVR ESSE arbitri.

CAP. 4.

**S**ervus autem, licet partes consentiant in eum, non potest esse Arbiter.

2. Item, fœminæ non possunt judicare in arbitrio.

F

3. Item,

3. *Item*, prohibetur compromitti in furiosum surdum, & mutum.

4. *Item*, minor viginti vnus anni, arbiter esse non potest.

5. *Item*, Ballivus, qui habet potestatem ordinariam, arbiter esse non potest, lege dicente, si quis iudex vel Ballivus sit, arbitrium recipere ejusdem rei de qua iudex vel Ballivus existit, vel in se compromitti jubere, prohibetur.

6. Et est triplex ratio quare Ballivus arbiter esse non potest.

7. *Prima*, quia si nollet pronunciare, non esset aliquis qui ipsum cogeret ad pronunciandum, cum per Ballivum cogi debeat arbiter pronunciare.

8. *Secunda* ratio est, quia si contingeret sententiam, seu iudicium vel prononciationem quam Ballivus arbiter ferret impugnari; timendum esset, ne Ballivus eam defenderet animosè.

9. *Tertia* ratio, quia iudex prohibetur in se iudicium recipere, jubendo sibi ipsi, in se arbitrium compromitti.

10. Ballivus autem ordinarius potest esse arbitrator, id est, amicabile compositor. Quia Ballivus potest per amicabilem compositionem dissolvere quæ sunt dubia inter partes de suis litigiis.

ANNOTATIO.

Servus.  
Fæmina.

VERS. 1. Servus autem] *Neque servus, neque fæmina, potest esse arbiter, nec etiam arbitrator.* d.l. Pedius. 7. s. vlt. ff. de arbitr. *sicuti nec iudices esse possunt, quia officijs civilibus non funguntur.* l. cum Prætor. 12. ff. de iudic. l. vlt. C. de arbitr. Decius in leg. 2. de Reg. jur. *Verum compromitti potest in fæminam, si habet iurisdictionem de jure communi, vel consuetudine.* c. 4. de arbitr.

VERS. 2. Item fœminæ] *Fæmina civilibus officijs non funguntur, vel propter sexus imbecillitatem, & fragile consilium, quia in rebus proprijs curandis sepe falluntur.* l. 4. C. de sponfalib. *vel propter rerum forensium ignorantiam.* Vlpian. tit. 11. in prin. *Vel denique propter sexus verecundiam, ne scilicet, fæmina sese virilibus officijs immisceant.* l. 1. s. 4. de postuland. l. 2. ff. de Reg. Jur.

Furiosus.  
Mutus.  
Surdus.

VERS. 3. In furiosum] *Furiosus, mutus & surdus non possunt esse arbitri.* l. sed si. 9. ff. de arbitr. *quia perpetuò furiosus non habet iudicium; licet furiosus habens dilucida intervalla, possit esse arbiter.* l. quod legatum. 38. ff. de iudicijs. *Mutus verò, & surdus, prohibentur esse arbitri.* l. sed si. 9. ff. de arbitr. *Quia ille audire, hic loqui non potest.* l. cum Prætor. 12. ff. de iudicijs. *Sive sint tales natura, sive naturali morbo, & casu adventitio.* d. c. infames. 3. q. 7.

Minor.

VERS. 4. Item minor] *Nemini licet minorem viginti quinque annis compro-*

*compromissarium iudicem eligere.* l. cum lege. 41. ff. de arbitr. *sed gl. in l. cum Prætor verb. impubes bene distinguit. Primum enim, pupillus vel impubes minor 18. annis, non potest esse arbiter.* l. sed & si. 9. ff. de arbitr. *Secundò, adultus ad 18. annos prohibetur esse arbiter, vel iudex, nisi Princeps eum delegaverit, vel partes in eum consentiant.* l. quidam consulebat. 57. ff. de re iudic. *Tertiò, maior 18. annis, qui tamen vigesimum ætatis annum non complevit, potest esse arbiter sed non cogitur pronunciate, aut iudicare.* d. l. cum lege. 41. *Quartò, maior viginti annis, qui in se recepit arbitrium, cogitur pronunciare, nisi restitutionem in integrum petat.* d. l. cum lege. s. major. *Regula igitur generalis est, de jure Civili, quod nemo potest esse iudex vel arbiter, nisi sit maior 25. annis, vel ut hic dicitur 21. annis.*

VERS. 5. Item Ballivus] *Nomen Ballivi in his libris pro iudice, ut plurimum accipitur. Iudex autem ordinarius non potest esse arbiter in ea causa, in qua est iudex.* l. sed si. 9. s. 9. si quis. ff. de arbitr. *cujus rei tres rationes hic redduntur, que magna ex parte descripte sunt ex gl. in c. Infames. verb. Iudex. 3. q. 7.*

Ballivus.

VERS. 7. Cum per Ballivum] *Arbiter ordinariam iurisdictionem non habet; Ideoque suam sententiam executioni mandare non potest: hoc enim ad iudicem ordinarium pertinet.* l. 3. s. vlt. ff. de arbitr. l. à Divo Pio. 15. in prin. ff. de re iudic. *quod verum est, etiamsi partes hoc modo in eum compromittant.* Bart. in l. non ex omnibus. 44. ff. de arbitr.

VERS. 10. Potest esse arbitrator] *Arbiter cogitur servare juris ordinem: Quia arbitraria sunt redacta ad instar iudiciorum; arbitrator verò potestatem habet procedendi juris ordine non servato.* Innocent. in c. quinta vallis. de iurejurand. vid. Speculat. tit. de arbitr. in initio.

IN QUÆM NUMERVM POTEST  
compromitti.

CAP. 5.

DEbet autem compromitti in numerum impari, quo numero Deus gaudet: scilicet, in vnum, aut in tres, & sic de similibus.

*Virgil. Ecloga. 8.  
Numero Deus  
impare gaudet.  
Iac. I. pan. 6. c. 37*

2. Quia si contingeret tres non concordare in prononciando: iudicium obtineat, id est, valida sit sententia reliquorum duorum.

3. Sed quæritur, an valeat arbitrium si partes compromittant in duos arbitros?

4. Et videtur quòd non: nam si dissentiant res sine effectu, vel exitu itura est.

5. Sed certè, solitum est compromitti in duos arbitros: & si dissentiant, tunc Ballivus (si arbitri electi fuerint in Curia) potest cogere illos duos, tertiam & certam eligere personam sibi, vt per decretum suum consonans, certa feratur sententiæ prononciatio.

**Dispar numerus arbitratorum.**  
**Par numerus arbitratorum.**  
 Jac. I. parl. 6. c. 87.  
**De discordia arbitratorum in numero, vel quantitate rei controversa.**

**VERS. I.** In numerum impar] Arbitri sunt eligendi in dispari numero. Veluti unus, vel tres, quia imparibus votis in iudicio, vel extra iudicium, res citius dijudicatur. c. licet de elect. extr. Et si illi dissentiant, statuer sententia majoris partis, veluti duorum. c. 1. de arbitri. Nam omnes videntur facere, quod major pars facit. l. 8. ff. de pact. l. 19. ff. ad Municipal. Si modo duo dixerint sententiam, tertio presente & loquente, vel tacente. l. Item si vnus. s. vlt. ff. de arbitri. Eo autem absente, non valet arbitrium. l. sicuti. 18. ff. de arbitri. nisi aliter compromisso sit cautum, ex consensu partium. l. non distinguemus. 32. s. cum in plures. ff. de arbitri. Verum de jure Canonico, quando est factum compromissum in tres arbitros simpliciter: duo sine tertio, possunt procedere. c. 2. in sexto. Quod si duo sunt electi arbitri, & hi inter se dissentiant, iudex eos potest cogere, ut tertiam certam eligant personam, cui pareatur. l. Item si vnus. 17. s. principaliter. ff. de arbitri. quod à jure nostro municipali, non admodum recedit. Iacob. 1. Parl. 6. c. 87. Porro, si plures sint arbitri, & discordant in summa, valet sententia illius arbitri, qui condemnauit in minore summa. Veluti si ex tribus arbitris, vnus in 15. alius in 10. tertius in 5. condemnauit: quinq; prestari debent. l. diem. s. si plures. ff. de recept. arbitri. Quia minor summa inest majori. Ideoque in illa summa minore, omnes alij intelliguntur esse concordēs. c. 1. Extr. de arbitri.

**IN QUIBVS CAUSSIS POTEST COMPROMITTI, VEL NON COMPROMITTI.**

**CAP. 6.**

**P**Otest vtique compromitti in caussis pecuniariis, temporali-  
 bus, & spiritualibus.

2. Sed in matrimoniali, in liberali, & caussa criminali, de jure non compromittitur in arbitros, sed in arbitratores & amica-  
 biles compositores.

3. Item, nec compromisso pareatur, nisi metu pœnæ appo-  
 sitæ.

4. Item, ex pacto agi potest inter partes, vt pronuncietur in  
 arbitrio, vno litigatorum absente, & altero præsentē.

**ANNOTATIO.**

**VERS. I.** Pecuniariis] Eodem modo quo in omnibus caussis civilibus,  
 teste Specul. per d. c. 1. Extr. eodem.

Spiritualibus] Generaliter prohibetur, ne super rebus spiritualibus com-  
 promittatur in laicum. c. contingit. 8. de arbitri. Quia laici ecclesiastica &  
 spiritualia negotia tractare non debent. c. 2. de iudic. Potest tamen de his com-  
 promitti in laicum tanquam arbitratorem & amicabilem compositorem. Vel  
 denique in clericum de spiritualibus, & in laicum de temporalibus compromit-  
 tere

tere licet. c. placuit. 11. q. 1. iuxta vulgatam juris Canonici regulam, temporalia  
 sunt de foro Imperatoris, sicut spiritualia de foro Pape.

**VERS. 2.** Sed in matrimoniali] Regula generalis est, in caussa matri-  
 moniali, liberali, vel criminali arbitri cognoscere nequeunt. c. caussa. 9. de in  
 integr. restituti. Deinde caussa liberalis de statu hominis sine liber, an seruus,  
 matres iudices desiderat. l. non distinguemus: 32. s. Iulianus. ff. de arbitri.  
 Matrimonium autem non potest partibus consentientibus, neque per arbitros  
 consensu partium electos, dissolui aut ab eo recedi. c. vlt. de transact. Matrimo-  
 nium enim semel contractum, continuationis necessitatem inducit, quousvis ini-  
 tiu sit liberum, ad id vt adiectione pœnæ non confirmetur; neque quisquam com-  
 promitti potest, vel ad contrahendum, vel ad pœnam stipulationi adiectam soluen-  
 dum: cum matrimonia debent esse libera. c. gemma. 29. de sponsalib. & ma-  
 trim. Nam inhonestum visum est vinculo pœnæ matrimonia constringi, siue fu-  
 tura, siue iam facta. l. Titia 134. ff. de verb. obligat. Postremo, de crimine, si  
 criminaliter agatur, arbitri non possunt assumi. Si verò, de crimine agatur ci-  
 viliter: in arbitros compromitti potest. d. l. 32. s. Iulianus. & ibi gl. Verum tam-  
 etsi partes compromittunt, & crimen remittunt; tamen Rex non impeditur  
 huiusmodi transactione, quo minus vindictam criminis expetere possit. Bart. in  
 l. 1. vlt. que ad eod. ff. de injur. sed de crimine iam commisso transigere licet, sed  
 non de futuro crimine, siue crimine committendo, ne homines hoc modo ad de-  
 linguendum invitentur. l. juris gentium. 7. s. si paciscar. & ibi gl. ff. de pact. 2.  
**VERS. 3.** Metu pœnæ] Sententia arbitri parere nemo cogitur, nisi in  
 compromisso pœna pecuniaria, aut alia res, que vice pœnæ sit, adijciatur. l. litiga-  
 tores. 11. ff. de pact. qua de re. Specul. tit. de arbitri.

**VERS. 4.** Item ex pacto] Arbitri nihil potest ultra illud quod est sibi  
 in compromisso concessum. l. non distinguemus. 32. s. de officio ff. de arbitri. c. cum dilecti. de arbitri. Et si legitime clausula, vel conditiones fuerint com-  
 promisso appositæ, seruari debent, vt si conuenerit, vt sententia feratur, vno li-  
 tigatorum absente, vt dixi supra, ex d. l. 32. s. si in plures. Potest enim compro-  
 mitti vt vel vno, vel utroque absente, sententia feratur. l. diem. 27. s. si quis  
 eod. tit. Porro si sententia lata sit ultra vires compromissi, non valet, etiam si  
 partes eam homologauerint, secundum Felixum in c. cum dilecta. de rescrip-  
 tis: quia arbiter super his tantum rebus, que in compromisso continentur judi-  
 care debet. c. cum dilectus de arbitri. Sed quoties queritur, vtrum sententia  
 nulla, possit consensu partium confirmari: distinctio Bartoli in l. 1. ff. de fer-  
 tenenda est. aut enim, inquit, sententia est nulla propter defectum consensu, &  
 potest consensu partium confirmari. l. 3. ff. rem. rat. haberi; aut est nulla propter  
 alium defectum; & tunc secus est dicendum. l. 1. de appell. recip.

**QUO LOCO, ET TEMPORE, PRONUNCIATUR SENTENTIA ARBITRORUM.**

**CAP. 7.**

**I**tem, ex pacto agi potest inter partes, vt in loco certo pronun-  
 cietur sententia.

F 3

2. Alio-

2. Alioqui ibi pronuncietur, vbi factum fuit compromissum.
3. Item, ex pacto potest agi, quod arbitri pronuncient, quod eis videbitur, dummodò judicent secundum leges regni.
4. Item, arbitri feriatis diebus pronunciare non possunt.
5. Nisi in tribus casibus, scilicet, Principe, vel suo Ballivo cogente; vel de consensu partium; vel si certus dies compromissi datus sit, & iste dies sit exiturus.

Hic versus in nonnullis libris non reperitur.

ANNOTATIO.

VERS. 1. Item ex pacto] De loco, in quo arbitrorum sententia ferri debet, aut convenit inter partes; que conventio est licita, ut hic dicitur; aut non convenit, & loci nulla sit mentio; & tunc locus compromissi servandus est; in ferenda sententia.

VERS. 3. Quod eis videbitur] Et si liberum arbitrium sit concessum arbitro: Nam non potest alterutri parti præjudicare, aut dolo malo aliquem ledere. Ut communiter tradunt Dd. in l. cum antea. C. de arbitr.

Ferietriplices. Lib. 1. c. 6.

VERS. 4. Feriatis diebus] Quaedam sunt ferie solennes, divini cultus causa institutæ, in honorem Dei: alia indicitæ, que mensium vindemiarumque gratiâ indicuntur: alia denique repentiæ, que arbitrio Principis constituuntur. l. 4. cum seqq. C. de feriis. Arbitrator tempore feriarum solennium, non potest ferre sententiam, nec cogi potest: sed tempore feriato in necessitatem hominum cogi potest. l. si feriatis. 3. ff. de arbitr. licet secus sit in arbitratore, ut ibi notat Bartolus.

VERS. 5. Nisi in tribus casibus] Tres proponuntur exceptiones à regula precedente, primò, tempore feriarum, que hominis causa, veluti fructuum colligendorum gratiâ, instituntur: arbitrator potest cogi ad sententiam dicendam, à Præatore, & judice. Secundò, si dies compromissi sit exiturus, nec proferri potest, ut tradit Vlpianus in l. Pomponius. 13. ff. de arbitr. Tertio, si partes consentiant, ut in l. i. ff. de feriis.

Sit exiturus] Dies compromisso adjectus dicitur exire, si advenerit, & de eo proferendo in compromisso nulla facta sit mentio l. diem proferre. 27. ff. de arbitr. Diei prorogationem, vulgò, vocant, cum partes in alium seu novum diem consentiant.

DE EFFECTU SENTENTIAE ARBITRORUM.

CAP. 8.

Effectus arbitrorum est, ut sententiæ eorum stetur, sive æqua sit, sive iniqua, dummodò sit solenniter lata, & non sit contra leges; & quòd arbitrator dolo careat.

2. Et sit arbitrium aliquâ pœnâ vallatum: Et si non sit pœnâ

nâ vallatum, sed juramenti vel fidei interpositione, secundum jura Canonica valet, sed secundum leges regni non tenet.

ANNOTATIO.

VERS. 1. Ut sententiæ] Arbitrorum sententiæ litigantes stare debent, sive sit æqua, sive sit iniqua. Hoc enim sibi impudent, que eos communi consensu elegerunt: Ideoque ab hujusmodi sententiæ appellari non potest. c. iudicibus. 2. q. 6. l. diem. 27. s. stat. ff. de arbitr. quod apud nos usu receptum est.

Solenniter lata] Nam si non sit lata, secundum solennem, & solitum iudiciorum ordinem; ei impunitè non paratur. l. 4. C. de sentent. & interloq. Et Injusta sententia æquam est arbitrum, hoc nomine convenire posse, ab eo, contra quem imperitè & male judicavit. gl. s. i. Instit. de obligat. quæ ex quasi-delicto. per l. penult. in fin. c. de pacto.

Contra leges] Nam si sit expresse contra leges lata, ei non statur. l. si expressum. 19. ff. de appellat.

Dolo careat] Nam si sententia lata sit dolo ab arbitro, qui debet esse vir bonus, aut ex dolo malo alterutrius litigatorum (veluti si quis eorum, arbitrum corrumpit, pecuniâ, ambitione; vel advocatum diversæ partis, vel aliquem ex ijs, quibus adversarius causam commisit) hujusmodi sententiæ stare non est necesse. l. ita demum. 3. l. 3. C. eod. tit.

VERS. 2. Sed juramenti] De veteri jure Civili, compromissum factum, cum juramento arbitrorum, vel partium, erat validum. l. 4. C. de arbitr. Sed hoc jure Novellarum est correctum, per quod prohibetur compromissum fieri, cum juramento. authen. decernit. C. eod. tit. Sed jus Canonicum vetus jus Civile comprobat, & compromissa juramento firmata, rata esse jubet. C. i. extr. de pacto. & c. cum omne. 22. q. 1.

DIFFERENTIA INTER JUDICIUM et arbitrium.

CAP. 9.

Differunt autem iudicium & arbitrium, quòd vbi Ballivus possit punire contumacem; a arbitrator non potest, quia hoc solùm b Ballivus concessum est.

2. Item, si duo, vel tres arbitri, electi fuerint per partes: nullus sine sociis potest procedere.

3. Sed si quatuor sint Ballivi, vnus potest procedere, & tenere Curiam sine sociis suis.

QUALITER FINITUR ARBITRIUM.

CAP. 10.

Solvitur autem, & finitur arbitrium, morte partium, vel arbitrorum.

2. Die

2. Die arbitrii transactâ, ante pronunciationem iudicii.
3. Et pacto facto inter partes.
4. Item, hæres litigatorum non stabit arbitrio ipsorum arbitratorum, si pater suus præmoriatur, antequam iudicio arbitrium finiatur; nisi in arbitrio mentio de hæredibus habeatur.
5. Sed quæritur, an pœna soluta ab eo qui non paret, peti possit iudicatum? Respondeo, non: duabus rationibus.
6. Prima, quia si sic ageret, contraria postularet; pœna enim petitur, quia non paretur arbitrio: iudicatum verò, quia statur sententiæ & arbitrio: Et ideò tanquam petens contraria non auditur.
7. Secunda, quia ex sententia arbitri super pœna assumpta, principale non transit in rem iudicatam.

## ANNOTATIO.

VERS. 1. Morte partium] *Si in compromisso fiat mentio heredis alterius tantum litigatoris (veluti heredis Titij) & non alterius qui cum eo compromittit (veluti heredis Sempronij) mortuo Titio, durat adhuc compromissum, quia eius heres succedit in eius locum: Sed mortuo Sempronio compromissum expirat, quia nulla fuit mentio heredis Sempronij. Sed si neutrius heredis mentio facta sit, tum compromissum finitur morte alterutrius litigatoris. l. sed & interpellatur. 48. l. diem. 27. s. 2. ff. de arbitr.*

Vel arbitratorum] *Morte omnium arbitratorum, vel unius solvitur compromissum; quia cum sint plures arbitri: cogendi sunt sententiam dicere, aut omnes, aut nullus. l. item si. 17. Item si plures. ff. de arbitr. Præterea, compromissum est personale, neque personam egreditur. l. in compromissis. 45. ff. eod. tit.*

VERS. 2. Die arbitrii transactâ] *Die, intra quam arbiter sententiam dicat, præteritâ, compromissum finitur, nisi dies mutuo consensu prorogetur. l. Labeo. 25. l. arbiter. 50. ff. de arbitr. quia arbiter infra id tempus quod in compromisso continetur, iudicare debet. c. cum dilectus de arbitr.*

VERS. 3. Pacto facto] *Nemo cogitur arbitrium recipere, quoniam est res libera & soluta, & extra necessitatem iuris-dictionis posita. l. 3. s. tametsi. ff. de arbitr. ideoque libero consensu fit inter litigantes; & proinde contrario consensu, & pacto dissolvitur. l. 2. in prin. ff. eod. tit. ex ratione leg. nihil. 32. de Reg. jur. c. significantibus. et ibi gl. verb. negligentibus. de offic. de leg. extra.*

VERS. 4. Item hæres] *Compromissum cum sit personale, non transit ad hæredes compromittentis; nisi aliter conventum sit. l. diem. in prin. ff. de arbitr.*

VERS. 7. Non transit in rem iudicatam] *Pœna assumpta hæc in loco significat pœnam solutam [That is to say, the paine taken vp, and payed] scilicet, per eum, contra quem arbitrium certâ pœnâ vallatum, profertur ab arbitris. Solutio autem pœne, in arbitrio contenta impedit, quo minus res principalis*

Alter-utrius.

Prorogatio diei.

Arbitria sunt libera.

*cipalis transeat in rem iudicatam, et ut planius dicam: Si quis pœnali sententia in arbitrio contra eum lata, non obtemperat: ideoque propter suam inobedientiam, solvit pœnam in sententia contentam: liberatur à solutione rei iudicatae, seu debiti in sententia contenti, quia id quod in sententia continetur, non potest peti, priusquam transeat in rem iudicatam. Solutio autem pœne hunc transitum impedit, ut hic dicitur. Porro, id quod debetur ex sententia, non transit in rem iudicatam, donec decem dies post latam sententiam præterierint, intra quos à sententia appellare licet, ita ut illis elapsis, jus sententia controverti non possit, ut tradunt communiter Dd. in tit. ff. de re iudic. Nam si non sit appellatum à sententia, aut intra legitimum tempus non appelletur: standum erit sententia. l. i. C. de re iudic. vbi Azo. l. 24. de stat. hom.*

## DE SERVIS NATIVIS AD LIBERTATEM proclamantibus.

CAP. II.

Consequenter sequitur de quæstione status, id est, de quæstione nativorum, & servorum fugitivorum.

2. Placitum est quandoque inter aliquos; videlicet, quando aliquis trahit alium à libertate in villenagium, vel in servitutem, vel quando aliquis in villenagio, vel servitute positus, petit libertatem.

3. Cum quis autem alium petit in villenagium, tanquam servum suum nativum, habebit Breve de nativis, ad Vice-comitem directum.

4. Si verò se liberum esse dixerit, is qui petitur, & super hoc demonstrando securum fecerit Vice-comitem, tunc in illo comitatu remanebit loquela illa.

5. Et summonebitur is, qui clamat eum in villenagium, & ei dies ponetur, quo suum clameum prosequatur.

6. Die autem statuto, si non venerit is qui clamatur in villenagium, neque effonium miserit, fiet illi secundum formam prædictam in tractatu de loquelis.

7. Si verò se effonari voluerit, hoc ei licet totidem vicibus, ut prædictum est.

8. Si verò is qui clamat, neque venerit neque miserit, dimittetur alius sine die; Et interim in statu libertatis erit is, qui in villenagium proclamatur.

9. Utroque autem in Curia præsentem, hoc modo distracionabitur libertas in Curia.

10. Si quidem producit, qui libertatem petit, plures de proximis

*De eo qui à libertate ad servitutem petitur, vel contra.*  
Glanv. lib. 5. c. 1.  
Quon. Anach. c. 56.

*a Dato fideiussore vicecomiti de respondendo, sive de stando ad rectum.*  
b. vicecomitatu.  
In §. famin Schirefdome Glanv. lib. 5. c. 56.  
De Reo absente. Lib. 1. c. 7.

*De Actore absente pendente lite, quia libertas est favorabilis.*  
De utroque tam Actore, quam Reo presente.